



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

79. An Superiores possint in contractu licito absque solemnitate obligare
bona Ecclesiae sub hypotheca generalium obstante Paulina, & Decreto
Vrb. VIII. Et an pecuniae ad Cambiu[m], vel mutuo acceptae ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

bilem sustineri. Sed ego respondi quod Pater Pasqualis exessit in censura hujus opinionis; & idcirco merito contra illum novissimè nominatum insurgit Bordonus in *Miscellaneis*, *decisione* 494. per totam; ubi responder, & infringit omnia argumenta, quæ Pasqualis ubi *supra* in favorem suæ sententiæ adduxerat. Et idcirco sententiam asserentem alienationem Reliquiarum non esse prohibitam in Bulla Pauli I. præter Riccium, Castum Palaum, & alios à me alibi adductos, tenet Antonellus de *Regimine Ecclesiæ Episcopalis*, tom. 1. lib. 1. cap. 4. §. 7. num. 16. Barbosa, de *Potestate Episcopi*, parte 3. allegat. 95. numero 39. & me citato Pellizzarius, in *Man. Regular.* tom. 2. tract. 6. cap. 8. num. 91. ubi sic ait: Quæres an alienatio Sanctorum Reliquiarum cadat sub hac prohibitione, ita ut non possint à Regularibus alienari sine debita solemnitate? Respondetur non cadere, quamvis, si perpetuè sepultæ sint traditæ extrahi non possint, & aliis tradi absque consensu Sedis Apostolicæ. Ratio nostræ responsionis est, quod in hac prohibitione non comprehenduntur, nisi bona temporalia pretio æstimabilia: Reliquiæ autem Sanctorum sunt supra omnem temporalem æstimationem, nec pretio æstimari possunt. Ita ille.

2. Sed etiam stando in opinione Pasqualis, & aliorum, puto dictum Priorem non incidisse in penas latis contra alienantes absque assensu Sedis Apostolicæ, quia Paulus I. in dicta Extravagante utitur verbo, * *Præsumptis*, quod dolum, & temeritatem denotat: ut notat Baldus *consul.* 486. n. 5. in *Ref. volum.* 4. Barbat. *capit. Prudentiam*, notab. 1. de *Offic. de deleg.* Decius in cap. 2. sub numero 6. *versic. Secundo* principaliter, de *judic. Hippol. in leg. de Minore*, in *princip.* numero 39. *Digest. de quest.* Jacobi de *Craffis* *disputat.* in *anreus decision.* lib. 1. cap. 13. num. 72. Navarr. in *Man. cap. 27.* numero 156. cum sequent. Menoch. *de accus. consil.* 763. num. 10. Sanchez de *Matrimonio*, lib. 9. *disputat.* 32. num. 38. Lotter. de *re benefic.* lib. 2. *quæstione* 14. a num. 54. Rot. in *Aquet. irregularitatis*, 14. Maj 1607. coram Cardinali Cavalerio. Erasim. à Cocher. de *Iurisdic. Ordin.* in *Exemptis*, lib. 4. *quæst.* 75. num. 4. Glor. *resp.* 12. numero 26. Vnde dispositio nem punientem aliquid præsumptum non comprehendere illum, qui id bona fide ignoranter, aut imprudenter, sive inadvertenter facit, tradunt Navarr. in cap. *Accepta de restitut. spoliat. opposit.* 8. numero 33. & in *Extravagant. de datis & promissis*, num. 35. *versic. Audeat*, sive *presumat*, & in cap. *Statuimus* 19. *quæst.* 3. numero 62. in *fine*, *vers. Nota* septimò, & in *Manual. cap. 27.* num. 155. in *fine*. Avendan. de *exequend. mand.* lib. 1. cap. 4. num. 38. *vers. Verum* sicut *penè*, quos refert Cened. ad *Decretal. collectan.* 45. n. 3. At in casu nostro Prior supradictus operatus est bona fide, & cum auctoritate Doctorum: ergo in Paulinæ penas incidisse minime dicendum est: Et ita mecum tunc senserunt multi viri docti de hoc consulti.

RESOL. LXXIX.

An Superiores in contractu licito possint absque solemnitate obligare bona Ecclesiæ sub hypotheca generalis, non obstante Paulina, & Decreto Urbani VIII.

Et an pecunie ad cambium, vel mutuo accepta cum solutione lucris cessantis, vel damni emergentis comprehendantur sub Decreto Sacre Congregationis, & Paulina Ambitiosa?

Et An obligando tantum fructus bonorum immobilium,

Tom. V.

& mobilia pretiosa possit Prælati, & Capitulum Ecclesiæ, seu Monasteriorum absque solemnitate, quam jura ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum requirunt, pecuniam mutuo accipere? Et an hoc procedat, si mutuum sit acceptum absque ulla obligatione, aliquid pro eo solvendū, alioquin non possit fieri, etiam si tantum fructus, & mobilia, & non immobilia, & pretiosa obligentur? Ex part. 10. ff. 16. & *Misc. 6. Resol.* § 3.

§. 1. Affirmativam sententiam tenet Bordonus in *Conf. regul.* tom. 1. *resol.* 27. num. 13. Pyrrhus Corradus de *Dispens.* lib. 9. c. 9. num. 31. in *fine*, & Doctores, quos citat, & sequitur Ciarlinius tom. 2. cap. 183. n. 107. ubi sic ait: Certum est, Prælatum Ecclesiæ, vel Capitulum Clerici tam Regularis, quam Sæcularis, non posse speciali hypotheca obligare bona stabilia, vel pretiosa pro quocumque contractu, sive mutui, sive empti, vel alterius generis sine licentia Pontificia, & juris solemnitate, quia specialis hypotheca est à jure prohibita, ut habetur in *cap. nulli*, ubi Bero. num. 9. de *reb. Eccles. non alien.* & in §. nos igitur, in *fin.* & §. quia verò, in *auth. de non alien.* & *permut.* Verum si loquimur de contractu celebrato ab Ecclesiâ, ejusve Prælato ex aliqua iusta causa, non prohibito per dict. Extravagant. *Ambitiosæ*, neque per dictum *cap. nulli*, aut alias jure, ut est emptio, venditio, locatio, mutuum, commodatum, & similia quæ, permittuntur etiam Prælati Ecclesiastici ob Societatem humanam conservandam; nimis enim incommodum esset Ecclesiarum Prælati, & Ecclesiasticis, si nullo modo contrahere possent, tunc si hujusmodi contractui licito, & permissio per se, accederet hypotheca generalis omnium bonorum Ecclesiæ, vel Monasterii, utique talis obligatio tenet sine aliqua solemnitate assensus Apostolici: quia leges hypothecam prohibentes loquuntur de hypotheca nullum supponente contractum licitum ex parte hypothecantis, non autem quando contrahens Ecclesiasticus suo contractui licito, & ex causa iusta adjungit hujusmodi hypothecam; quia tunc illa sequitur naturam contractus, cui apponitur, sicut accessorium suum principale, & idcirco sicut permittitur ille contractus licitus emptiois, vel mutui, aut similibus, sine beneplacito Apostolico, ita generalis hypotheca ei accessoria, & sic communiter tradunt omnes, quod obligatio generalis bonorum Ecclesiæ contracta occasione emptiois, vel contractus permissi sit valida absque assensu Apostolico, ut latè probat Bero. in *dict. cap. Nulli*, num. 11. 12. 13. 14. & 15. de *reb. Eccles. non alien.* Covarr. *var. resol.* lib. 2. cap. 16. num. 7. Redoan. d. *tr. quæst.* num. 16. n. 12. & *quæst.* 51. cap. 29. num. 12. ubi habetur, quod Prælati contrahendo potest generaliter pro observantia contractus obligare bona Ecclesiæ sine licentia Episcopi, prout in praxi servatur; sic etiam tenet Molin. de *just. & jur. tr. 2. disp.* 466. in *princ.* Bonaci *disput.* 3. de *contract. feud. quæst.* 8. part. 4. num. 32. in *fine*. Ferdin. à Castro Palao *moral. part.* 2. tit. 12. *disput.* *unic. punct.* 15. §. 2. num. 12. Plures refert Barbosa in *collect. ad d. cap. Nulli*, num. 5. de *reb. Eccles. non alien.* Latè etiam Bordon. *dict. resol.* 27. num. 4. 13. 58. ubi rationes adducit. Lezan. in *summ. quæst. regular. verb.* alienare, num. 5. post medium, *verb.* An autem possint, tom. 3. ubi ponit rationes; & ita censuit Rota in *Amerina* bonorum coram Eminentissimo Verospio, 19. April. 1645. Et coram Rois 21. Februario 1642. & 2. Junij 1645. §. Nam licet, ubi ponit rationes. Et ita fuit decilum per sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, sub die 14. Julij 1638. ubi censuit in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, non esse comprehendendam hypothecam generalem; & ratio est, quia

E 2

quia, cum Ecclesia ex huiusmodi contractibus, acquirit, & penes se recipiat pecunias, vel bona secum contrahentis, potest sub hypotheca generali obligare sua bona, quia talis obligatio generalis non est comprehensa sub prohibitione alienandi bona Ecclesiastica, ut per Doctores in dicto capit. Nulli. Vbi Berous numero 12. 13. & sequent. & Barbosa, num. 5. de rebus Eccles. non alienan. Redoanus dicto libro. Nam hypotheca generalis per se ipsam nihil sapit alienationis, cum per eam non transferatur ius in re §. item Seleuciana, Institut. de action. leg. si rem, §. propriè, Digest. de pignorat. action. Et ideo licet in Extravagant. Ambrosio, ubi interdictur alienatio bonorum Ecclesie prohibeatur etiam hypotheca simpliciter sub forma generis; tamen cum sub se non contineat nisi ea, quæ sunt ejusdem naturæ, secundum Bald. l. 1. n. 1. C. commendat. sequitur quod non possit comprehendere hypothecam generalem tanquam diversæ naturæ ab alienatione, ad quam hypotheca generalis non est directè, & principaliter ordinata; sed ut magis creditori cautum sit ad eam ut per eam non possit sequi alienatio, nisi in consequentiam, & secundariò, ut in l. si quis nec causam, Digest. si cert. pet. Concludendum est, generalem hypothecam non esse à iure prohibitam, ut per Bordon. d. resol. 27. num. 13. ubi docuit etiam iura ex adverso allegata procedere in casu, ubi hypotheca sit sine ullo contractu, quod vix dari potest. Et ideo sic ut supra dictum est bene, melius fuit dictum in hac parte, per Rot. in d. Amerina bonorum 2. Junij 1645. §. nam licet Dominici. Hucusque Ciarlinius.

2. Itaque secundum hos Doctores, & præsertim Ciarlinium, quando Ecclesia, seu Prælati, & Capitulum ex iusta causa celebrat sine assensu Apostolico aliquem contractum, ex iusta causa non prohibitum in dict. Extravagant. Ambrosio, nec in dict. cap. nulli, puta venditionem, emptionem, locationem, mutuum, commodatum, & similia, quæ permittuntur etiam Prælati Ecclesiasticis ob Societatem humanam conservandam, pro ejus observatione possunt licite, & valide omnia bona obligare absque assensu Apostolico. Quod etiam confirmat, quoniam incommodum, inquit, esset Ecclesiarum Prælati, & Ecclesiasticis, si huiusmodi contractui licito, & permissio per se, & ex quo Ecclesia acquirit, & penes se recipit pecunias, vel bona secum contrahentis, non posset absque alia solemnitate assensus Apostolici addere hypothecam generalem omnium bonorum, & Ecclesie, & Monasterij: leges enim hypothecas prohibentes loquuntur de hypotheca nullum supponente contractum licitum ex parte hypothecantis, non autem quando contrahens Ecclesiasticus suo contractui licito, & ex causa iusta adjungit huiusmodi hypothecam, quia tunc illa sequitur naturam contractus, cui apponitur, sicut accessorium suum principale; & ideo sicut permittitur ille contractus licitus emptionis, vel mutui, aut similibus sine beneplacito Apostolico; Ita generalis hypotheca ei accessoria. Subdit tamen Ciarlinius, quod si Prælati Ecclesie vellet ex se vendere bona stabilia generaliter hypothecata pro satisfaciendo creditoribus, non posset id facere sine assensu Apostolico, quia tunc venditio est potius voluntaria, quam necessaria per tradita à Quaranta, verb. alienatio, num. 58.

3. Sed his non obstantibus huic sententiæ non adheret novissimè Angelus Bossius in Moral. var. tomo 1. titul. 18. num. 6. cum quia stante hac opinione facile fieri posset fraus legi; Tum quia verba dict. Extravag. Ambrosio, & dict. Decreti sacre

Congregationis sunt ita generalia, ut nulla ratione admittant interpretationem à Molina, Ciarlinio, & aliis datam, & debent intelligi de sola hypotheca speciali; & dum tam in Paulina Ambrosio, quam in dicto Decreto excipiuntur casus à iure permitti, intelliguntur casus permitti à iure, scilicet, necessitas Ecclesie, vel aliorum pauperum, vel Ecclesie utilitas; intelliguntur etiam casus, qui expressè non sunt in iisdem Paulina, & Decreto vetiti, cuiusmodi est hypotheca omnis, cum sub nomine hypothecæ comprehendatur tam generalis, quam specialis, & colligitur etiam ex fine Summorum Pontificum in dict. Paulina, & in d. Decreto, qui fuit excludere omnem viam, per quam Ecclesie, & Monasteriis sequi posset detrimentum ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium facili alienatione, & distractione inconsulto Romano Pontifice, ut constat ex proemio dicti Decreti. Hinc pecunia ad cambium, vel mutuum accepta cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis comprehenduntur sub Decreto S. Congregationis, quod prohibet Regularibus quamcumque alienationem bonorum Monasteriorum immobilium, & pretiosorum mobilium. Ad ea verò, quæ tradit Ciarlinius, & Bordonus responderetur non posse dici legitimum contractum, per quem Ecclesia contrahit debitum, pro cuius satisfactione, seu solutione debeant alienari, vel deveniri possit ad alienationem bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium, si celebratus fuit sine assensu Apostolico, vel licentia expressa Sacre Congregationis, supposita dict. Extravagant. Ambrosio, & d. Decreto Sacre Congregationis, in quibus prohibetur bona prædicta Ecclesie, vel Monasteriorum, obligari, ac subijci hypothecæ cuiusque absque assensu Apostolico, aut licentia ejusdem Congregationis; & ita proflus sentit Additionator ad Quaranta loco, n. 4. citato, ubi advertit quod tunc dicitur debitum legitime contractum ab Ecclesia, quando fuit cum assensu Apostolico, alioquin non possunt bona Ecclesie obligari, ut fuit dictum supra ampliatione tertia, scilicet, ut tradit Quaranta allegans, n. 17. Quod autem ad illam declarationem Sacre Congregationis à Ciarlinio citatam, si extat, videtur illa repugnare alteri declarationi mox adductæ. Unde ex his optatam resolutionem huius dubij, te maturius iterum considerata à Sacra Congregatione declarari.

4. Notandum est tamen hic, quod etiam stando in opinione Bossij, supradicta procedere obligando in genere bona immobilia, vel pretiosa mobilia, nam obligando solum fructus bonorum immobilium, & mobilia non pretiosa Prælati, & Capitulum Ecclesie, seu Monasterium poterit absque solemnitate, quam iura ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum requirunt, pecuniam mutuo accipere; cum Prælati, & Capitulum, & Monasterium habeant liberam administrationem fructuum, & aliorum bonorum mobilium non pretiosorum, ut etiam tradunt Panormitanus in dict. cap. penult. num. 5. de fideiussoribus, & Molina, tom. 2. de iustit. dista disputatione 300. numero 2. versu. Quibus verò. Qui proinde dicunt, quando Prælati, & Capitulum accipiunt mutuum, ad cuius solutionem non est necesse devenire ad alienationem bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium, sed posse satisfieri de fructibus, & aliis bonis, cum Prælati, & Capitulum competat libera administratio horum bonorum, ad illarum alienationem non esse necesse, quod constat in Ecclesie utilitatem evidentem fieri; atque adeò etiam qui mutuo dedit pecuniam Prælati, Capitulo non consentiente illam repetentem, non tenent

generi probare pecuniam fuisse in utilitatem Ecclesie veram.

5. Declaro tamen, id procedere si mutuum sit acceptum absque ulla obligatione aliquid pro eo solvendi: nam si à Regularibus accipitur, petitur cum obligatione solvendi lucrum cessans, vel damnum emergens, id non posset fieri, etiam si tantum fructus, & alia bona mobilia, & non immobilia, nec pretiosa mobilia obligarentur pro restitutione pecunie mutuo acceptæ, & solutione lucri, & damni: hoc enim Regularibus prohibere intendit, & citra dubium prohibet sacra Congregatio in dicto Decreto, quod datum fuit Romæ die 21. Maij 1626. & per extensionem refert Barbosa, de *Jure Ecclesiastico lib. 3. capite 30. numero 16.*

RESOLVTIO LXXX.

An bona Ecclesiastica legata, vel donata, possint alienari sine assensu Apostolico, & in proprios usus converti possint, & stante hoc, absque dicta solemnitate alienari?

Et an quavis permutatio bonorum Ecclesiasticorum maxime cum laicis sit jure prohibita, tamen permutatio cum Imperatore, & Principe patriæ sit permessa absque solemnitate?

Idem est cum Fundatore, sed solemnitate præmissa. Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Refol. 85.

1. Negativam sententiam tener Glossa, & Abbas, in cap. 20. de condit. apposit. Covarruvias, in cap. 1. numero sexto, de testament. Quaranta in summa, Bullar. numer. 31. Bonacina, tomo secundo, de alien. bonorum Ecclesiasticorum, disputatione secunda, quest. unica, punct. 6. num. 11. Marcellus Vulpes, in praxi fore Ecclesiast. cap. 6. num. 5. Antonellus, de regim. Eccles. Episcop. lib. 1. capite 4. §. 3. numer. 5. Barbosa, de potestate Episcop. parte 3. allegat. 95. num. 70. Et ratio est, quia illa conditio rejicienda est tanquam turpis, & habenda pro non apposita; siquidem est juri contraria. Item relicta Ecclesie incapax retinendi sub conditione, ut retineatur, non est obligata retinere, sed potest illud alienare. Ergo similiter relicta sub conditione, ut possit alienare, non servata solemnitate, debet illico retinere, si solemnitatem in alienatione non servat.

2. Verum his non obstantibus, affirmativæ sententiæ adheret Castrus Palaus, qui inter præstantissimos Societatis I. E. S. U. Theologos non infima subcella obtinet, tomo secundo, disputatione unica, punct. 15. numero decimoquarto. Quia tum Ecclesia ex potestate accepta à testatore legatum alienat: testator autem poterat suam rem absque solemnitate alienare. Ergo transferens rem Ecclesie, potuit cum ea potestate conferre. Secundo testator potuit relinquere Ecclesie hereditatem, ea clausula apposita, ut post aliquos annos teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis, quem Ecclesia elegerit: sed ad hanc translationem nullus consensus Pontificius, nullusque tractatus requisitus est, argument. libro primo, & tertio, Cod. quando decreto opus non est, & tradit Quaranta verb. alienatio rerum Ecclesie, numero 45. limitatione decimasexta, Vgolinus, de potestate Episcop. allegat. 95. numero 62. Ergo neque etiam requiritur in nostro casu, cum in eo etiam sit quoddam fideicommissum, & ex voluntate testatoris alienatio non procedit. Neque obstant contrariæ rationes. Ad primam nego rejiciendam esse illam conditionem, tanquam turpem, & juri contrariam, cum jus solum prohibeat alienare res Ecclesie, quæ illius

sunt absolute; secus illas, quæ non sunt absolute, & perpetuè Ecclesie, sed quandiu Ecclesie placuerit illas retinere. Ad secundam respondeo esse disparatam rationem. Qui enim legat Ecclesie incapaci retinendi ea conditione, ut retineat, manifestè constat obfata Ecclesie dispositioni, ac proinde turpem esse illam conditionem, & rejiciendam. At qui legat ea conditione, ut Legatum alienet, quando voluerit, non opponitur dispositioni, & juri Ecclesie: hæc enim Ecclesia impedita non est alienare sine solemnitate in omnibus casibus, sed solum in illis, in quibus res Ecclesie sibi absolute relinquuntur, non in illis, in quibus pro limitato tempore conceduntur, ut sit in presentibus, siquidem conceditur legatum pro tempore, quo ipsa Ecclesia illud retinere voluerit. Hucusque Palaus.

3. Quid ego sententiam, dicam breviter: Eius opinio, speculative loquendo, videtur mihi probabilis; Ego tamen non audeam in Praxi recedere à sententia negativæ; quia est communis inter Doctores, & magis secundum stylum Curie, & præsertim pro casu, de quo interrogatus fui; quia consulens erat Vicarius Diocesis in statu Ecclesiastico, & erat Vicarius Episcopi Cardinalis.

4. Sed quia hic incidit sermo de alienatione bonorum Ecclesiasticorum, apponam casum discussum à Patre Vvadingo, in tractat. de contratt. disputatione secunda, dub. 8. §. 3. numero quarto, ubi sic asserit: Quamvis permutatio bonorum Ecclesiasticorum, maxime cum laicis sit jure prohibita, tamen permutatio cum Principe patriæ est permessa. In authent. de alienandis. Imperator permittit libere, ut fiat permutatio secum, & leg. hoc jus porrectum, Cod. de Sacrosanct. Ecclesi. & relata est illa lex in decretum, cap. hoc jus 10. questione prima, & in capite primo, de rerum permutation. absolute conceditur, ut quando est rationalis causa, possit Ecclesia cum Principe permutare possessiones, verbi gratia, quando Princeps vellet dilatare suum palatium, aut vivarium facere ex aliquo prædio Ecclesie, aut habet aliam causam rationabilem utendi pro suis communibus usibus aliqua possessione Ecclesiastica, tunc potest, & debet Ecclesia consentire in permutationem, etiam si Princeps non compensaret dando possessionem majoris valoris, modo det æqualis. Vide in capite primo, de rerum permutatione. An autem hic casus ita sit à jure privilegiatus, ut non requirantur solemnitates ad alias alienationes necessariae, disputatur: plurimi enim secuti Innocentium, negant; Zabarella, Imola, Henricus, & alij asserunt, vere ita esse privilegiatum, ut non requirantur solemnitates, Hostiensis in cap. citato, Archidiaconus, cap. hoc jus 10. quest. 1. Nevizanus cons. 100. & alij recentiores, ut Tuschus verb. Alienatio concl. 273. alios citans, quæ opinio videtur rationalis, quia ut bene argumentatur Hostiensis, Ecclesia voluit aliquod singulare privilegium concedere Imperatori, vel supremo Principi tanquam Patrono, & Fundatori: parum autem concessisset, si voluisset requiri in illa permutatione eadem solemnitates, quæ requiruntur in privato, nec satisfacit Ioannes Andreas, quem communiter alij sequuntur, dicentes, in hoc aliquid peculiare statui in Principe, quod Ecclesia sit contenta permutatione pro re æquali, quod tamen in privatorum permutationibus non sufficeret, in quibus debet fieri permutatio pro magis utili. Ad hoc enim posset responderi negando unquam in tali casu inæqualem fieri permutationem, sed semper illum contractum fieri pro majori Ecclesie utilitate: quia fatentur omnes, Ecclesiam, & posse, & debere facere donationes remuneratorias, de quibus infra, & dicunt, donationem fa-